

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Desiderii Erasmi Roterodami Paraphrases In Novvm
Testamentvm**

Praemissa Est Io. Aug. Noesselt Historia Paraphraseon Erasmi Rot. In
Novum Testamentum

Erasmus, Desiderius

Berolini, MDCCCLXXX

VD18 90514300

In Epistolam Pauli Ad Thessalonicenses Priorem Paraphrasis Per Des.
Erasmus Roterodamum.

urn:nbn:de:gbv:45:1-14035

IN
 EPISTOLAM PAULI
 AD THESSALONICENSES PRIOREM
 PARAPHRASIS
 PER
 DES. ERASMUM ROTERODAMUM.

CAPUT I.

PAULUS et Sylvanus ac Timotheus congregationi ¹
 Thessalonicenſium consentienti in Deum patrem, et in
 dominum nostrum Iesum Christum, a quibus contin-
 gat vobis gratia et pax. Vestro profectui, sicuti par
 est, gratulantes, ſemper agimus gratias Deo, vistro
 omnium nomine, vestri mentionem facientes, quoties
 cum Deo sacris precationibus colloquimur, quod num-
 quam nobis non veniat in mentem, quantum praefite-
 ritis (*) in tuenda fidei vestræ professione, deinde quan-
 tum laboris exhaueritis ob caritatem, quam habetis erga
 praecones evangelii, quam fortiter et constanter omnia
 pertuleritis, freti spe et exſpectatione praemiorum,
 quae dominus noster Iesus Christus promifit in vita fu-
 tura iis, qui ob nomen ipsius huius vitae negligunt in-
 commoda. Non peribit vobis merces recte factorum,
 rependet is, qui ſpectavit quo animo feceritis, Deus et
 pater noster. Scitis ipſi, fratres dilecti, non humana ⁴

(*) Aliae: perfitteritis



persuasione vos esse mutatos, sed voluntate divina ad
 5 haec selectos fuisse. Neque enim sic praedicavimus
 vobis evangelium, ut praeter verba nihil adferremus
 vobis, imo Dei potentia miraculis confirmavit sermo-
 nem nostrum. Datus est et per nos spiritus sanctus,
 neque quidquam omnino defuit, quod plenam ficeret
 evangelicae doctrinae fidem, quandoquidem per no-
 strum evangelium consequuti estis, quidquid ad alio-
 rum praedicationem consequuti sunt Judaei. Atque
 hic quam pure, quam submisse, quam laboriose nos
 gesserimus apud vos, ipsi testes estis. Nihil enim non
 6 pertulimus, quo vos Christo lucrifaceremus. Neque
 vos praebuistis degeneres discipulos, sed nostrum exem-
 plum estis imitati, imo non nostrum, sed domini Ie-
 su, qui sic deiecit sese, sic perpessus est omnia, ut nos
 sibi lucrifaceret. Adeo enim non respuistis evangelium
 nostrum, ut huius gratia quamvis graves ac multas af-
 flictiones pertuleritis non modo fortiter, verum etiam
 multo cum gaudio, quod animis vestris suggestit spiri-
 tus sanctus, quem accepistis ad nostram praedicatio-
 nem, arhabonem interim futurae felicitatis, cuius spe
 dulce est etiam, quidquid hic malorum infligitur ob
 7 evangelium Christi. Tam insignis fuit fidei vestrae
 fortitudo, ut exemplo fueritis omnibus credentibus in
 8 reliqua Macedonia et Achaia. In tantum enim com-
 movit omnium animos exemplum urbis metropoli-
 nae, ut evangelii fama, tubae clangentis ritu, late
 peronuerit; ardorem fidei vestrae, quam habetis erga
 Deum, divulgans non solum in Macedonia et Achaia,
 verum in caeteris quoque regionibus omnibus, ut iam
 nihil necesse sit a nobis praedicari pietatem vestram.
 9 Etenim si quando tentamus his de rebus narrare, ipsi
 potius ultro narrant nobis, prius docti celebri rumore,
 quam nostra oratione, quomodo nos primum vos adie-
 rimus, doctrinam evangelicam praedicaturi, quanta-
 que promptitudine nos exceperitis contemtis periculis,
 quae nostra causa videbantur vobis imminere, quanta-

que facilitate traducti fitis a maiorum superstitione, qua simulacra daemonum colebatis, ad cultum Dei, ut posthac detestantes fallos ac mortuos Deos, serviretis Deo vivo ac vero, cuius promissis freti pro nihilo duci-10tis huius vitae commoda pariter atque incommoda, expectantes ut filius eius Iesus, per quem nos afferuit in salutem, ac nobis futurae vitae praemia pollicitus est, rursus adveniat e coelis, exhibitus palam orbi, quae promisit. Nam hunc in hoc excitavit ad vitam, ut et nos per illum revivisceremus, fruituri cum illo bonis immortalibus, qui hic pro illo mala huius mundi perpetimur. Nec erit nobis tum formidabilis huius adventus, quos ipse suo sanguine purgatos a peccatis Deo reconciliarit, et ab aeterno suppicio liberarit, quod nostris commissis debebatur.

CAPUT II.

Quid autem attinet commemorare, quum ipsi non ignoratis, licet non accesserimus ad vos cum fastu et supercilie, grandia quaedam verba trutinantes, aut magnificam aliquam philosophiam profitentes, tamen aditum nostrum non fuisse inefficacem. Imo quum et antea Philippis multa pertulissimus, quemadmodum ipsi nostis, multisque effemis affecti contumeliis una cum Sila, ob Pythonem ejectum a puella, quam tenebat, nihilo secius tamen freti auxilio Dei nostri, non veriti sumus, et apud vos libere praedicare evangelium Christi, non sine gravi discrimine. Quod si rem 3 commentitiam et inanem vobis praedicassimus, numquam eius causa capitum discrimen adissemus. Nam qui ex se docent, quod a Christo non acceperunt, et docent ad suum quaestum, hoc agentes, ut aliis imponant suo lucro, his nec adeat auctoritas, et protinus se subducunt, ubi metuant capitum aut rerum suarum discrit-

Tt 2



men. At doctrina, ad quam vos invitavimus, haud fuit commentitia fucataque, aut ad imposturam instrueta, neque sub eius praetextu celavimus artes impuras, quemadmodum faciunt pseudapostoli. Neque dolo quidquam gessimus, aliud pra nobis ferentes, alio spestantes, ac sub Christi titulo nostrum agentes negotia-

4 tium, eorum more, qui se faciunt apostolos. Sed quemadmodum Deus per filium suum ad hoc munus nos delegit, ut sincere concreditum evangelium praedicaremus, ita praedicamus omnibus, non ut apud homines ineamus laudem aut gratiam, sed ut Deo nostram functionem probemus, qui penitus inspicit corda

5 nostra, atque ex his quemque aestimat. Neque enim cuiquam sumus adulati, cuius rei vel ipsi testes estis, neque sermonem evangelicum vestramque credulitatem

6 vertimus in quaestum nostrum. Testis est nobis huius animi Deus ipse, neque venati sumus ex evangelio gloriam humanam, vel apud vos, vel apud ullos alios, quum potuerimus auctoritate nostra supercilioso uti, non minus quam pseudapostoli, qui quum inania deceant, et ad suum compendium, tamen honorem et

7 obsequium a vobis exigunt. At nos metnores, quid deceat apostolos Christi, qui sese submisit nostrae salutis causa, non vindicavimus nobis fastum ac supercilium, sed placidos nos ac mites praestitimus inter vos, haud saevientes velut in discipulos, sed omni lenitate morigerantes imbecillitati vestrae, non aliter quam si mater nutrix foveat teneram aetatem filiorum suorum,

8 sic et nos affectu propensi in vos, ex animo cupiebamus impartire vobis non solum evangelium Dei, veluti pabulum animarum vestrarum, verum etiam propriam vitam impendere, non quod a vobis quidquam speraremus praemii, sed quod vos ex animo caros haberemus,

9 haud secus ac mater diligit filios suos. Non exprobramus officium, sed testamur affectum. Nam ipsi meministis fratres, ut vestra causa nullum laborem, nul-

lum sudorem fugerimus, nihil aliud fitientes aut captantes, quam salutem vestram, et adeo nihil mercedis venantes a vobis, ut opera manuaria, nocturna diurnaque, nobis pararemus victimum, ne cuiquam vestrum effemus oneri. Pseudapostoli suum evangelium in vos ingerunt, et extorquent quantum possunt, nos vobis gratuito praedicavimus evangelium Dei. Et vos¹⁰ mihi testes estis, et Deus ipse testis est, quam sancte, quam iuste, quam inculpate gesserimus nosmet erga vos, qui credidistis, quod ipsa re compertum habetis,¹¹ quam sincero affectu cuncta fecerimus, ut erga quemque vestrum sic fuerimus affecti, tanquam pater quivis erga liberos suos, nunc obsecrantes vos, nunc consolantes, nunc obtestantes, non ut nobis daretis quidquam, sed ut vitam ageretis Deo dignam, qui vos¹² prius alienos ab omni pietate vocavit per fidem ad studium verae pietatis, et per afflictiones temporarias ascivit in regnum suum et gloriam immortalem. Bene¹³ habet, agnoscitis beneficium Dei, quapropter et nos illi gratias agimus indesinenter, qui sic afflavit animos vestros, ut quum nos humiles venissimus ad vos, nulla dignitatis specie commendati, simulatque audissetis a nobis evangelii doctrinam, non acceperitis tanquam sermonem, aut fabulam humanam, sed tanquam sermonem ab ipso Deo profectum, sicuti revera erat. Nam ille vobis per nos loquebatur. Dilutus et inefficax est¹⁴ sermo humanus, sed efficax est sermo Dei, qui simul atque haustus est vobis, non fuit otiosus, sed exserere coepit vim suam in vobis, ita ut satis appareret, vos eumdem cepisse spiritum, qui mox imitari coeperitis reliquas ecclesias Dei, quae in Iudea profitentur Christum Iesum. Quod Christus, quod nos, quod caeteri Judaei, qui amplectuntur doctrinam evangelicam, passi sunt a suae gentis hominibus, quibus invisa est haec doctrina, hoc et vos passi estis a contribulibus vestris. Nam ut hi dominum Iesum occiderunt, et¹⁵

Tt 3



ante hunc trucidarunt suos prophetas, impatientes veritatis: Ita et nos veritatis evangelicae praecones persequuntur, tanta caecitate mentis, ut et Dei iram in se provocent, cuius voluntati rebellant, et cunctis hominibus adversentur, velut hostes humani generis, ac velut omnibus invidentes salutem per fidem oblatam,

16 et cupientes omnes secum in exitium pertrahere. Neque enim privato quopiam odio sic nobis obsistunt, immo gentium omnium bono invident, et ea gratia nobis obturbant, ne praedicemus evangelium gentibus, per quod servari queant, quasi parum sit, illos antehac trucidasse prophetas, mox a prophetis Christum, nisi nobis etiam afflictis et extinctis, absolvant cumulum facinorum suorum, et hunc veluti colophonem imponant impietati suae, nusquam sui dissimiles, nec unquam ab insania sua resipiscentes, quibus rebus adeo provocant in se divinam iram, ut desperandi sint, quippe destinata malitia propellentes abesse misericordiam Dei, et evangelium modis omnibus oppugnantes, cu-

17 ius unius ope poterant ab exitio recipi. Caeterum quo magis amo vos ob alacritatem ac promptitudinem fidei vestrae, fratres, hoc mihi gravius fuit vestri desiderium, quod aliquantulum temporis a vobis distracto, non licuerit frui conspectu vestro, cuius mira nos habebat cupiditas, licet animo nunquam fuerimus a vobis divulsi. Et tamen hoc non sat erat caritati in vos nostrae, nisi praesens praesentes adspicerem et corporeis

18 oculis. Quapropter non mihi satis est visum, aliquem ad vos mittere, aut per literas colloqui, sed ipse Paulus semel atque iterum conatus sum adire vos, quo magis etiam confirmarem animos vestros. Sed obstitit haec conanti satanas, qui per impios Judaeos impe-

19 dicit meam ad vos profectionem. Quid autem mirum, si tanto teneor vestri desiderio? Nam quid aliud est in hoc mundo, quo mihi placeam, quo me iactem, quo fretus mihi promittam felicitatem? Omnia contemno



prae evangelio Christi. Quaenam igitur est spes nostra, aut quod gaudium nostrum, aut quae corona nostra? Nonne inter caeteros, quos ex gentibus lucrifici Christo, vos quoque estis? Si non apud mundum, certe apud dominum Iesum Christum. Ubi debellatis hostibus evangelii, palam agetur triumphus in adventu illius: Quae tum trophyea, quae monumenta victoriae proferam in illa pompa, nisi vos vestrique similes? Interim harum rerum certa spe fruor. Vos igitur 20 estis in hac vita seges ac materia gloriae nostrae, vos gaudium nostrum, si modo perseveratis in his, quae coepistis.

CAPUT III.

PRoinde quum iam impares essemus desiderio vestri, nec tamen daretur aditus ad vos, visum est nobis, ut quod per nos ipsos facere non licuit, per mihi fidelissimum sodalem, ac velut alterum me facerem. Nos igitur soli resedimus Athenis, atque inde misimus Timotheum fratrem nostrum, ac spectatum Dei ministrum, socium et adiutorem officii nostri, quo fungimur in evangelio Christi, malentes interim tam unici tamque necessarii collegae solatio carere, quam committere, ut usquam in prospicio rebus vestris cessasse videremur. Misimus autem non nostra gratia, sed vestra potissimum causa, videlicet ut confirmaret et consolaretur animos vestros, docens, his afflictionibus, quibus hinc atque hinc pulsor, neque quidquam labe factari meum animum, et magis etiam prosperari gloriam evangelii, ne quis vestrum ob meas afflictiones, quas auditis, turbaretur. Neque enim vobis novum videri debet, si haec accidunt evangelii praeconibus, quum me iam pridem sciretis in hoc ipsum delectum a Deo, ut mei corporis afflictionibus illustrarem Christi

Tt 4



nomen, praceptorum ac dominum hac in parte refe-
 4 res. Etenim iam tum, quum apud vos praesentes es-
 semus, hoc ipsum praedicebamus, fore ut ob evange-
 lium afflictionem pateremur. Quod tum praedixeram
 fore, iam fieri videtis, quemadmodum et ante nostis
 factum. Mihi nihil inopinatum accidit, neque vobis
 non praedictum, quo minus est causae, cur animo la-
 5 besfactemini. Ergo quum pro mea ingenti de vobis
 sollicitudine, qua tuta etiam timeo, non ferrem des-
 derium vestri, Timotheum, ut dictum est, misi ad
 hoc, ut per hunc quodammodo praefens cognoscerem
 fidei vestrae constantiam, et explorarem, si quos ex
 vobis imbecilliores tentasset ille, qui numquam non
 vigilat ad subvertendos bonos, et in his perisset mihi
 6 labor meus. Nuper autem quum Timotheus a vobis re-
 disset ad nos, nobis laetum adferens nuntium, ac refe-
 res et fidei vestrae robur inconcussum, et caritatem
 pristinae similem, quodque disiunctio nostra non abo-
 levisset apud vos nostri memoriam, sed hanc apud vos
 iugem ac perpetuam esse, vosque semper mutuo nostri
 videndi desiderio teneri, quemadmodum nos habet de-
 7 siderium videndi vos: Nihil est necessitatum aut malo-
 rum, quibus premor, quod non aequo animo feram,
 posteaquam cognovi vestram fidem esse in tuto, cui me-
 tuens, ipse mihi non metuebam. Ego mihi videor in-
 8 columis, si vestra incolumis est fides. Nunc vivimus, et ab
 omni discrimine videmur erepti, si vos auxilio Christi Je-
 su persistitis in eo, quod coepistis. Non piget horum ma-
 lorum, si fructus respondet in vobis, quorum gratia haec
 9 perpetior. Quod quoniam video fieri, ut in dies latius
 evangelium crebrescat apud gentes, quas gratias tan-
 to beneficio pares, Deo possimus referre, cuius bene-
 ficio nobis contigerit in hisce malis tam insigne gau-
 dium, quo de vestro profectu gaudemus ex animo, te-
 ste Deo nostro, cuius bonitati debetis, quod perstititis,
 10a quo nocturnis et diurnis precibus et illud maiorem in

modum flagitemus, ut eiusdem beneficio liceat aliquando vestro conspectu frui. Praestat aliquid praesentia, quod nec literae, nec nuntius quamlibet fidus praestare possit. Hac igitur gratia cupio videre vos, ut si quid etiam desit evangelicae disciplinae, id suppleam ac sarciam. Caeterum precor, ut quando per ^{II} impios homines non licet, ipse Deus ac pater noster, et huius filius Iesus Christus dominus noster, submotis impedimentis aperiat mihi viam ad vos, simulque vos dotibus suis sic interim augeat, ut magno gaudio vos conspicere possim. Id erit, si vos abundantes et exuberantes reddat mutua inter vos caritate, nec inter vos tantum, verum erga cunctos homines, quemadmodum et nos erga vos omnes eximiam quamdam habemus caritatem, vel mori parati pro vestra salute, atque ita ¹³ confirmet corda vestra, ut integritas vestra nulla ex parte culpari possit, non solum apud homines, sed multo magis apud Deum, et patrem, quem nihil fallit, in adventu domini nostri Iesu Christi, quem in conspectu sanctorum omnium palam erit, non solum quid quisque gesserit, verum etiam quo quisque animo gesserit.

CAPUT IV.

QUOD superest, fratres, rogamus vos, et exhortamur ¹ per dominum Iesum, quando iam satis a nobis estis edocti, quomodo vos gerere beatiss, et quibus studiis placere Deo, date operam ut in eo, quod didicistis, non solum perseveretis, verum etiam quotidianis profectibus vos ipsos supereritis. Nostis enim ac meministis, quae pracepta tradiderim, non meapte auctoritate, sed domini nostri Iesu Christi. Nihil istorum praecepi, quae vobis inculcant pseudapostoli, de legis mosaicae caeremoniis, de praecellentia visisque ange-

Tt 5



lorum, per quos sit aditus ad salutem, sed ea dunta-
 3 xat, quae sciebam esse grata Deo. Nam haec est vo-
 luntas Dei, ut vos sanctos et incontaminatos p[re]a-
 stis, nec animo solum casti sitis, sed et corpore, ut
 abstineatis a scortatione, qua corpora conspurcantur.
 4 Corpora domicilia sunt animi, animus hospitium est
 Dei. Ut igitur oportet animum esse purum, ob hospi-
 tem Deum, ita decet corpus esse purum, ob inhabita-
 5 torem animum. Proinde noverit suo quisque corpus-
 culo, ceu vasculo fictili, hunc habere honorem, ut
 purum servet et illibatum, neque sinat inquinari morbo
 turpium cupiditatum ac libidinum, quod adeo christia-
 nis indignum est, ut nec gentium sit omnium, sed ea-
 rum, quae non noverunt Deum, verum existimant
 nullo ultore cuique licere quidquid libet, et honestum
 6 esse, quidquid corpori dulce est. Congeminatur autem
 libidinis malum, si cum fratri iniuria copuletur, vel-
 uti quum alienam uxorem usurpat aliquis. Ne quis
 igitur aut hic, aut aliis in rebus, sibi plus satis usur-
 pando, fraudem faciat fratri suo, propterea quod De-
 us nihil horum sinet inultum, et adeo non proderit ba-
 ptismus ista patrantibus, ut gravius etiam sint punien-
 di, quemadmodum et ante diximus vobis, ac testati-
 7 sumus. Nec enim ideo Deus nos vocavit ab instituto
 vitae prioris, ut semel loti, rursus in easdem fordes re-
 volveremur, sed ut innocentiam semel gratis datam vi-
 tae sanctimonia puritateque tueremur. Neque foedi-
 tate libidinum expellamus a nobis spiritum sanctum ca-
 8 stitatis amatorem. Haec, inquam, et testatus sum,
 et rursum testor, non esse mea praecepta, sed Dei.
 Proinde qui adsperratur, non hominem adsperratur
 admonentem, sed Deum auctorem adsperratur, qui
 ideo spiritum suum sanctum impartiit vobis, ut illius
 afflatu sanctimoniam amplecteremini. In hunc con-
 meliosus est, quisquis corpus suum turpi libidine polluit.
 Caeterum de caritate christianorum erga christianos,

non arbitror necesse, ut vos admoneam hisce literis. Nam ipsi ultro divinitus docti estis per spiritum Christi, quem haustis, ut vos invicem diligatis. Id enim ¹⁰ re ipsa declaratis, christiana caritate prosequentes cunctos fratres, non solum qui sunt Thessalonicae, sed etiam qui in tota Macedonia. Non igitur hortabor, ut quod facitis ultro, faciatis, sed ut quod facitis admonitu spiritus, in hoc superetis vosipso, semper in melius proficientes. Detis autem operam, ne per otiosos et alienarum rerum curiosos, turbetur vestra tranquillitas, sed suum quisque agat negotium. Quod si cui non suppetant facultates, manibus propriis sibi patet, unde et sibi suppeditet, et aliis egentibus impartiat, quemadmodum et ante paecepimus vobis, ut vos ge- ¹² ratis cum decoro erga eos, qui sunt alieni a professione Christi, apud quos mendicare, aut ob inopiam impudentius agere, turpe sit vestrae professioni. Quin potius hoc suae cuique manus praestent, ne qua re sit opus. Et facile suppetit illi, qui parvo contentus est. Porro quod attinet ad resurrectionis mysterium, non ¹³ patiar vos quidquam latere, ne impotenti dolore lugeatis eos, quasi perierint, qui freti promissis evangelii obdormierunt, ne lugeatis, inquam, ad exemplum gentium, ideo lamentantium mortem suorum, quod non sperent unquam revicturos. At christianorum mors ¹⁴ nihil aliud quam somnus est, unde exergiscentur in adventu Christi, longe iam felicius victuri. Cur enim non speremus in membris fore, quod factum scimus in capite? Nam si vere credimus, quod Iesus mortuus est nostro more, et revixit ad immortalitatem, sic futurum credamus oportet, ut Deus pater, qui resuscitavit Iesum, et eos, qui Iesum professi, et illius promissis confisi obdormierunt, una cum illo adducat redivivos in adventu filii, ne capiti suo desint membra. Non referimus vobis humanam fabulam, sed quod ab ¹⁵ ipso Christo didicimus, videlicet quod nos, quos ad-



ventus domini residuos hic ac vivos reperiet, non ante
sistemur in conspectu Iesu, quam ii, qui mortui fuerint,
una sstantur. Dixerit quispiam, qui poterunt sisti,
16 qui sepulti sunt et in pulverem redacti? Ipse dominus
Iesus per angeli vocem, divina tuba de coelo personan-
tem, excitabit illos, adhortans, ut experrecti prope-
rent, ac protinus qui obdormierant hac spe, revivi-
17 scerent, et exsurgent e monumentis. Id ubi factum erit,
nos qui resides ac vivi reperti fuerimus, in adventu
Christi una cum illis redivivis, subito rapiemur per nu-
bes, ut in aere domino occurramus, atque inde nos
18 secum avehet in coelum, iugiter secum victuros. His
itaque sermonibus vos invicem consolemini, ne gra-
vius vos discruciet mors piorum, dignior quam gau-
diis et gratulationibus prosequatmini, quam lamentis.

CAPUT V.

1 **M**odum et ordinem resurrectionis habetis, quando
id scire vestra referebat. Caeterum tempora, tempo-
rumque articulos, quando sint haec futura, nihil at-
tinet vobis scribere, et adeo non conductit, ut nec do-
minus tale quiddam a se flagitantibus discipulis volue-
2 rit aperire. Siquidem ipsi plane nostis, et ante a no-
bis edocti, quod dies ille domini non aliter obrepet
orbi inexspectatus, quam fur nocturnus obrepit dormi-
entibus, ac tum potissimum opprimet oscitantes, quum
3 minime exspectabitur. Quum enim isti, qui non cre-
dunt evangelio, in mediis delitiis dixerint, nihil est
periculi, sed pacata tutaque omnia, non veniet domi-
nus, tunc illis repente instabit exitium, quemadmo-
dum gravidam mulierem subitus dolor partus occupat
ante diem exspectatum. Nec erit effugium prius op-
4 pressis, quam senserint. Dies metuendus iis, qui
nunc excaecati vitiis suis, nocturnam agunt vitam



vobis fratres non perinde metuendus, ne vos impro-
visos opprimat. Vos enim omnes, qui Christum se- 5
quimini, non pertinetis ad regnum tenebrarum, sed
ad regnum lucis ac diei, praesertim si studio pietatis
nostrae professione respondeamus, atque ita vivamus,
ut appareat nos in luce vigilare, non in tenebris ster-
tere. Proinde si nolimus opprimi, ne dormiamus, 6
quemadmodum faciunt caeteri, qui non norunt lucem
Christi, sed vigilemus ac sobrii simus, animo semper
circumspectantes, ne quid per incogitantiam amitta-
mus, quod oculos hominum ac Dei offendat. Nam 7
ut qui iuxta corpus dormiunt, nocte dormiunt, et qui
vino temulenti sunt, nocte sunt temulenti: Ita qui
oscitant ac dormitant in vitiis, in animi tenebris ver-
santur, et qui mundi cupiditatibus atque illecebris ebrii
sunt, in mentis caligine versantur. At nos quibus il- 8
luxit evangelii dies, sobrios ac vigilantes esse decet,
semper accinctos ac paratos adversus subitum insultum
hostis, semper in nostrum exitium vigilantis, munitos
armis spiritualibus. Nimirum pro thorace fidem indu-
ti et caritatem, pro galea spem aeternae salutis. Nec 9
est quod diffidatis. Aderit vigilantibus Deus ipse pro-
pugnator. Nec enim ideo vocavit nos ad evangelii
doctrinam, ut secus, quam illa commonstrat, viventes,
iam nobis et ultiōrem Dei conduplicemus, sed ut il-
li parentes salutem consequamur, opitulante domino
nostro Iesu Christo, qui ideo mortuus est pro nobis, ut 10
sive contingat vivere, per pietatem ac spem immorta-
litatis cum illo vivamus, sive contingat mori, cum il-
lo vivamus immortales. Quod ut magis ac magis fa- 11
ciatis, mutuis hortatibus vos invicem animate, ac vicif-
sim aliis alium excitate ad profectum, quemadmodum
et vestra sponte facitis. Quin et illud rogamus vos, fra- 12
tres, ut rationem habeatis eorum, qui laborant inter
vos, quique praesunt vobis in evangelica doctrina, qui-
que admonent vos, quibus rebus oporteat placere



Christo, ut quum oporteat omnibus deferre honorem,
 13 hos tamen prae caeteris habeatis in pretio, referentes
 illis caritatem, quam praestant vobis, tot laboribus ac
 periculis vestra causa subeundis. Et si quando vos ar-
 guunt delinquentes, tamen habete pacem cum illis.
 14 Neque enim odio dignus est, qui arguit ut profit. Quin
 vos quoque pro sua quiske portione, ut illorum par-
 tes adiuvetis obsecro. Admonete eos, qui suo vi-
 ventes arbitrio turbant ordinem vestrum. Consolami-
 ni pusillamines, sublivate imbecilles, estote lenes ac
 patientes erga omnes, non modo christianos, verum
 15 etiam a Christo alienos. Cavete ne quis iniuriam in-
 iuria repenset, ne quis maleficium maleficio retaliet.
 Nec enim imitari decet malos in re mala, et illorum
 similes fieri, imo magis admittendum, ut beneficiatis
 omnibus, non solum christiani christianis, verum et-
 iam quibuscumque promeritis et non promeritis, certi
 16 non perire vobis officium fideiustore Christo. Quare
 17 quidquid vobis acciderit, incolumi pietate gaudete
 semper, indesinenter interpellate Deum precibus ve-
 18 stris, in quavis fortuna gratias agite. Sic enim placi-
 tum est Deo, ut semper sit pro quo gratias agatis pa-
 19 tri benefico in vos per Iesum Christum. Quin et il-
 lud cavendum vobis, ne ex diversis dotibus dissidium
 aliquod oriatur inter vos. Contigit alicui donum lin-
 guarum, ut spiritu psallat, quamquam infima dos est,
 nolite tamen extinguere, fovete potius, ut proficiat
 20 ad meliora. Contigit alicui prophetiae donum, ut
 enarret sensum scripturae mysticum, nolite reiicere
 quidquid dicitur. Illum terte ut proficiat, hunc audi-
 te, sed cum iudicio, sic tamen, ut ne dicenti mole-
 stius obstrepatur. Nemo sic suis dotibus faveat, ut
 21 contemnat alienas. Omnia probate, caeterum quod
 quisque sibi iudicarit accommodum, id amplectatur.
 Quidquid boni speciem habet, non est adsperrandum.
 22 Caeterum a malis sic oportet abhorrire, ut ab his et-



etiam abstineatis, quae mali speciem p^{re}ferunt. Sed ad haec omnibus conari studiis, vetrum erit. Caete-²³ rum Deus ipse pacis auctor, cui gratus est consensus et concentus totius hominis in rebus honestis, efficiat, ut toti sancti sitis et illibati, ut anima spiritui, corpus animae respondeat, spiritus ipse respondeat Deo, ne sit in quo possitis culpari, utque in hac sanctimonia perseveretis usque ad adventum domini nostri Iesu Christi. Non est quod diffidatis. Bonae fidei est, qui vo-²⁴ cavit vos ad hanc sanctimoniam et huius praemia, idem perficiet quod coepit, praestabit quod est pollicitus, Fratres, et nostros conatus vestris precibus adiuvate.²⁵ Salutare fratres omnes osculo, non quale salutatorum vulgus ex more porrigit, sed sancto et christiana digno caritate. Obtestor vos per dominum, ut recitetur²⁶ haec epistola omnibus sanctis fratribus. Favor et be-²⁷ nevolentia domini nostri Iesu Christi semper adsit vo-
bis, Amen.

PARAPHRASEOS

IN EPISTOLAM PAULI AD THESSALONICENSES PRIOREM

F I N I S.

IN

I N
EPISTOLAM AD THESSALONICENSES
POSTERIOREM
A R G U M E N T U M
P E R
D E S. ERAS M U M R O T E R O D A M U M

QUoniam non contigit Paulo facultas revisendi Thessalonicenses, per epistolam confirmat illorum animos, ut fortiter ferant illatas ob Christum afflictiones, nec ipsis defuturum praemium, nec adversariis vindictam. Rursum de die adventus domini, quo non nihil attigerat in epistola superiori, monet ne quid commoverentur quorundam dictis, qui affeverabant illum iam instare, teste, sicuti putant, significans prius abolendum romanum imperium, ac deinde venturum Antichristum. Attentius etiam inculcat, coercendos esse, qui otio et curiositate sua turbarent quietem et ordinem publicum, et ad opus adigendos, quum ipse Paulus apud eos manibus suis laborarit. Scripsit Athenis per eosdem, per quos misit priorem epistolam, ut nostra quidem docent argumenta.

ARGUMENTI FINIS.

I N

